

FRANCISCI PATRICII  
PAMPSYCHIÆ  
LIBER QUARTUS  
*AN MUNDUS SIT ANIMATUS.*

Inter divinos animos, principem locum philosophorum multi, mundano animo assignarunt. Ut qui corporum omnium præstantissimo, perfectissimoque vitam, cognitionem, motionemque præstaret. Inter hos, de schola Ionica, omnes forte videntur numerandi: Thales, Heraclitus, Anaxagoras, Archelaus. Et de Italica Pythagoras; eiusque cuncti sectatores, Parmenides, Zeno, Empedocles. Plato denique cum suis omnibus. Et Stoici forsan universi. Contrariam hisce viam ingressus est Leucippus, et cum eo Democritus eius auditor, et post hos, et cum hic Epicurus. Et de tanto philosophantium in Græcia numero, tres hi soli mundum negarunt animatum esse. Sed si vere Plutarchus scripsit, de Democrito, primus ac postremus, soli, in ea sententia permandere. Verba illius hæc sunt.

Δεμόκριτος, νοῦν τὸν θεὸν, ἐμπυροειδῆ τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν.

“Democritus, Mentem Deum, igniformem mundi animum.”

Duo ergo illi solitarii, tot ac tantis viris, comparati, nullis erunt viribus. Nisi rationes afferant, tam validas ut nos persuadere valeant, in mundo regendo casum, quem pro Deo coluerunt, animo potentiores esse. Post hoc mundi cadaver, Aristoteles, dum Platoni amicus esset, ex eius ore exceperit, mundum hunc animal esse. Et animo etiam rationali præditum, idque in sua mystica Philosophia literis mandavit sæpe. Hostis vero postquam ei est factus, et a Platone, et a se ipso etiam discessit, et suum quoddam dogma in philosophiam intulit, non mundum universum, sed mundi partem esse animatam. Cœlum scilicet animatum esse, elementa vero non esse. Quoniam ergo, maxima Peripati pars, hanc eorum principis sententiam esse nesciunt, eius verba huic afferamus.

Ἡμῖν δ' ἐπείδη ὥρισται πρότερον, ὅτι ἐν τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως, αἱ τοιαῦται δυνάμεις ἐνυπάρχουσιν. Ο δ' οὐρανὸς ἐμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν, δῆλον ὅτι ἔχει τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω.

“Nobis vero quoniam determinatum est antea, quod in iis quæ habent motus principium tales facultates insunt. Cœlum vero animatum est, et habet motus principium, clarum quod habet sursum, et deorsum.”

Intelligit autem hic, cœli nomine, non mundum, ut altera eius significatione ante vocaverat, sed cœlum ipsum proprie, quod in circulum movetur. Quæ res tota ea ibi, contra Pythagoreos disputatione pater. Partibus quoque cœli, astris nimirum, animum, et eum rationalem uti videtur, tribuit. Hæc enim sua sunt.

Άλλ' ἡμεῖς ὡς περὶ σωμάτων μόνον αὐτῶν, καὶ μονάδων τάξιν, μὲν ἔχοντων, ἀψύχων δὲ πάμπαν διανοούμεθα. Δεῖ δ' ὡς μετεχόντων ὑπολαμβάνειν πράξεως καὶ ζωῆς

“Sed nos, tamquam de corporibus solum, et unitatibus tantum, ordinem quidem habentibus, inanimateorum vero prorsus cogitamus. Sed oportet de eis existimare, ut quæ participant actione, et vita.” Et infert.

Διὸ δεῖ νομίζειν, καὶ τὴν τῶν ἀστρων πρᾶξιν εἶναι τοιαύτην, οἰαπερ ἡ τῶν ζώων, καὶ τῶν φυτῶν.

“Oportet vero putare, astrorum actionem, talem, qualis animalium est, et plantarum.”

Qualis autem plantarum, atque animalium actio est? Nimirum vivere, nutriti, sentire, moveri. Sine enim vita, actio nulla obiri potest. Vita in his non permanet, nisi nutritantur. Ut vero nutritantur, cognoscere alimenta debent, cognita, motu quærere. Sua ergo sententia. Sydera et animo sunt prædicta, et vivunt, et nutriuntur, et sentiunt, et moventur motu, ut animalia progressivo, quo ad actionem suam prodeant. An vero hæc omnia dum in vetustioribus repræhendit, in sua philosophia sibi constent, suo loco discutietur. Verum et sphaeras cœlestes singulas, animatas esse paulo post subdit.